



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 94. An excusetur, qui solvit creditori creditoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

est probabilis probabilitate facti, quando non est certum, sed tantum probabile, id esse præstitum, quod secundum se est æquale debito; è contrà tum solutio est probabilis probabilitate juris, quando certum est hoc esse præstitum, quod secundum se est æquale debito, sed tantum probabile est præstationem illam esse veram solutionem debiti: per hanc solutionem probabilem docet *Carden.* satisfieri debito certo, non autem per illam, si enim probabilitas cadat supra speculationem facti, sive supra traditionem 100 aureorum, cum hoc factum traditionis sit incertum, non potest extinguere debitum certum, è contrà si traditio sit certa & probabilitas tantum cadat supra æqualitatem reparatam vi istius traditionis, cum jam probabile sit per traditionem illam haberi æqualitatem justitiæ, hoc videtur satis esse ad delendum debitum certum: & hæc videntur conformiter dici ad illa, quæ retulimus l. 1. à n. 600. Vide tamen dicenda n. 571.

Q. 94. An excusetur, qui solvit creditori credito- 453
vis. R. §. 1. *Med. Silv. Ang. Valent. Less. Dicast. d.*
10. n. 120. absolutè dicunt me pro foro conscientie liberari, si solvam creditori mei creditoris: quod verum est, si debita sint ejusdem rationis, nec fit alius creditor præferendus, quia tum solvendo creditori tuo acquiro jus, quod habet creditor tuus contra te, atqui hoc jus, & illud, quod tu contra me habes, sunt æqualia, uti suppono, ergo jam inter jura illa est posita compensatio sive æqualitas: *Bartolus* tamen dicit pro foro externo non valere, nisi vel res, quam solvo, sit aliquo modo obligata creditori tuo, uti si conduxisti à te domum, quam tu conduxisti ab illo, res

T 2

enim

enim meæ sunt pro locatione hypothecatae domino domus; vel nisi propter me, v. g. gerens mea negotia, factus sis debitor illi, hinc *Mol. T. 3. d. 743. n. 2.* universaliter dicit pro foro etiam externo valere, quando etiam aliquo modo obligatus creditori tuo, quoad id, quod solvo.

454

§. 2. Etiam liber sum solvendo creditoris mei creditoris, si ille, cui solvo, licite posset facere compensationem occultam in bonis meo creditoris, ita *Ang. Silv. Med. Mol. Rebel. L. ff. quod Lugo d. 21. n. 146.* docet valere etiam pro foro externo, quia tantum cooperor ad justam compensationem, quæ etiam in foro externo reprobari non potest, secundum dicta p. 1. à n. 959. Videri potest *ff. t. 4. d. 4. à n. 288.*

455

Q. 95. An per compensationem extinguatur obligatio restituendi. R. §. 1. Compensatio hic definitur, debiti & crediti inter se contributio, L. 1. ff. De compens. estque tum, si duo sint sibi mutuò debitores, uti si tibi debeam 10. aureos. propter emprum pannum, & tu totidem mihi debeas, quia injustè causasti damnum.

§. 2. Extra casus in Jure exceptos, si debitum sit utrimque æquale, per compensationem extinguatur obligatio restituendi, ita ut nec Judicis nec oppositæ partis consensus requiratur, L. *ambo*, ff. *suprà*, L. ult. Cod. De compens. Idem dicit *Dicast. d. 9. à n. 120.*, si duo similibus damnis aut convitiis se affecerint, si enim Cajus restituere nolit Titio, nec tenebitur Titius restituere Cajo, sed illa debita se mutuò compensabunt. Excipiuntur autem in Jure, 1. Debita Regi vel Reipublice titulo pensionis in publicam utilitatem, L. *In ea*, Cod. *suprà*. 2. Debita titulo depositi, L. ult. Cod.

suprà